

VIET-CHI POST XXX

Kal. Mai. a. MMIX

www.vovietjournal.org

vovietmailbox@vovietjournal.org

Epistula CCCIII (pars tertia)

ARBORI PERSICAE AQUAM SOFFUNDERE

(ineditum)

Ut studia
exerces, ita
vitam vivis

“DISCERE PER VITAM”

Magistri Phan-Hoang epistularum series

Epistula CCCIII

In epistula CCCII, SECUNDUM MOTUM: TUOI-DAO / ARBORI PERSICAE AQUAM SOFFUNDERE didicisti

Ita ut cum primo motu TUOI-DAO, cum hoc quoque quinque partes coniunctae sunt:

1. **Prima pars, ad corpus pertinens-** Leniter vehementerque respira; postea gradatim fortius aspira.

De parte ad naturae rationem pertinenti- Iste motus pulmones, tenue intestinum et colum stimulat.

2. **Secunda pars ad respirationem pertinens-** *Tho-Phoi-Bung*: in respiratu, thoracem dilata; aspira alacribus pectoris et spirandi musculorum motibus. Dum aspiras, utere *dan-dien*, i. e. ventris compressione.

3. **Tertia pars, ad interiorem vim et ad vitalia puncta pertinens-** De interiore vi (noi-khi), motus TUOI-DAO, PHE-DAN pondus servat, nam vim in superiore corporis parte currentem et vim in inferiore parte dormientem, librat .

4. **Vitalia puncta memorabilia:**

-*In pulmonum meridiano*: P5 (xich-trach), P7 (liet-khuyet) et P11 (thieu-thuong)

-*In coli meridiano*: GI1 (thuong-duong), GI11 (khuc-tri) et GI20 (nghinh-huong)

-*In tenuis intestini meridiano*: IG1 (thieu-trach), IG4 (uyen-cot) et IG8 (thieu-hai)

5. **De mente cogitationeque:** dum motum TUOI-DAO/ ARBORI PERSICAE AQUAM SOFFUNDERE exerces, animo fingis te limite, floridis arboribus Persicis et prunis definito, spatiari. Sub immenso divo hi rosei, pulcherrimi flores, antepositi omnibus aliis a spiritualibus gentibus, efficiunt ut te bene habeas, laetus, liber omniaque in optimam partem accipias. Liberum est tibi crescere ut vis, somnium iucundissimum de vita somniare. Cum hunc motum exerceas, brachiis corporeque arbori Persicae, i. e. longae vitae arbori, aquam soffundere videberis. Laetus es adiuturusque es aliis ut ii quoque laeti sint. Magister esse potes, quod ostendis rem

miram a te probata isto motu.

6. **Figurae** - In Vietnam arbor persica (dao) rara inventu est. Cum invenitur, colitur ut suos pulcherrimos flores mittat, delicataque fructa edat. Arbor persica Longioris Vitae imago est; flores Verni et Amoris.

Via- “Arbori Persicae aquam soffundere” nos docet patientiae diligentiaeque opus esse ad rem consequendam. Vitam vere laete agamus! Cum, exempli causa, arborem Persicam vel flores videmus, arrideamus!

FABELLA

Ubi cumque gentium omnique tempore homines speraverunt, maxime in Asia, se immortales futuros esse. Olim, ut suspicamur, duplice via hoc consecuturi fuerunt: Chemicarum ratione, i. e. alchymiae via; naturali ratione, i. e. via temporibus nostris appellata ‘viridis’.

Ille divus Qin Shi-Huang/ Tan Thuy-hoang (III sec. a.C.n.), qui Magnum Murum, qui permultis exitio fuit, aedificavit, alchymiae viam secutus est: cotidie arsenici haustum bibebat. Paucos post annos immortalis vero factus est, non in terra, sed sub terra, in immenso sepulcro, secreto viginti saeculos!

De magica ‘viridi via’, putaverunt in loco recondito vetustam arborem Persicam esse mille annos natam, quae unum fructum, appellatum Dao-bat-tu/Immortale persicum, centesimo quoque anno edebat. Qui id comedebat, immortalis fiebat. Tradunt, temporibus antiquis, hominem quendam ad regiam perventum, falso Immortali persico regem donavisse. Quia rex aliud agebat, moderator quidam Immortale persicum cepit et voravit. Statim rex furens eum capite damnavit. Tum moderator, genibus nixus, misericordiam implorans: “Rex, inquit, innocens sum. Iste hoc Immortale persicum esse simulavit; ego id edi et nunc in discrimine vitae sum. Tu quoque, si id edisses in maximo periculo esses. Poena afficere debemus falsas opiniones in medium proferentes, premio afficere de capite dimicantes ut veritatem quaerant. Rex, subridens, eum benigne audivit probavitque.

Phan-Hoang, Vere MMIX